



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

VII. Quod ad ferendum testimonium nullus sit cogendus, nisi timore  
aduersae partis se subtraxerit: & quod laicus a clero in causam tractus,  
in foro forensi est conueniendus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

## C A P . III .

*Idem R. Cantuariensi archiepiscopo, & R. VVigori-  
niensi episcopo.*

14. Quæst.  
2. Super  
præ.

Cum nuntius canonicorum de Plinteim , & nuntius  
Ioelis militis , &c. & *infra*: Præterea non lateat pruden-  
tiā vestram , quod prædicti canonici non sunt a ferendo  
testimonio super proprio negotio ecclesiæ suæ repellen-  
di , nisi alia rationabilis causa impeditat.

C A P . IV . *Idem Tarraconensi archiepiscopo.*

Quid si an-  
te damnati,  
post reti-  
tuti: vel nō  
dānati per-  
fēcte pœni-  
tentes?

Super eo quod quæsiuisti a nobis , vtrum testes illi sint  
reprobandi in causa criminali vel ciuili , quibus ab aduersa  
parte crimina opponuntur , tuæ prudentiæ respondemus:  
quod si etiam aut non sunt conuicti , aut confessi de crimi-  
nalibus illis , dummodo inde \* communicantur , non de-  
\*comin-  
bent admitti.

C A P . V . *Idem VVigorniensi episcopo.*

Scripta vero authentica , si testes inscripti decesserint ,  
nisi forte per manum publicam fuerint facta , ita quod  
publica appareant , aut sigillum authenticum habuerint ,  
per quod possint probari , non videntur nobis alicuius fir-  
mitatis robur habere.

## C A P . VI .

*Idem VVintoniensi episcopo , in capite , Suggestum.*

Porro si quis crimen obiicit testi qui contra ipsum pro-  
ducitur , vt eum in ciuilibus causis repellere possit , eodem  
modo \* afferendo testimonium audiendus est , et si crimen  
ciuiliter probare poterit , ad testimonium contra ipsum fe-  
rendum non est aliquatenus audiendus , sed propter hoc  
non debet puniri ; quemlibet autem ad perhibendum te-  
stimonium veritati , Romana ecclesia minime cogere con-  
suevit.

C A P . VII . *Idem Bononiensi episcopo.*

Super eo quod certificari desideras , an si aliquis de ali-  
quo facto manifesto ante iudicem conueniatur , hi qui facto  
interfuerint , cogendi sint ad ferendum testimonium ve-

ANNO CHRISTI 1179. ritati: prudentia tuae volumus innotescere, quod si factum est manifestum, non egit testium depositionibus declarari: cum manifesta, sicut tua non ignorat discretio, probationem vel ordinem iudicarium non requirant. Vnde si manifestum non est, & is qui conuenitur, factum negavit, testes qui interfuerunt facto, ex consuetudine Romanæ ecclesiæ monendi sunt, non cogendi, ad testimonium ferrendum veritati: nisi forte timore aduersæ partis constaret iudicia ferendo testimonio reuocari, licet de rigore humani iuris ad hoc forte possint compelli. Si vero presbyter vel clericus alias aliquem laicum de rebus suis vel ecclesiæ impetrerit, & laicus res ipsas non esse ecclesiæ vel presbyteri, aut clerici, qui eum exinde impedit, sed suas proprias asseuerat, laicus ipse debet de rigore iuris super hoc ad forense iudicium trahi, cum actor semper forum rei sequatur, licet in pluribus partibus aliter de consuetudine fiat.

CAP. VIII.

*Idem Salernitano archiepiscopo. Pars capituli, Licet pater.*

De cetero laicos in accusationem vel testimonium contra clericum in criminali causa non esse aliquatenus admittendos, censura sacrorum Canonum manifestius edocet: nisi forte suam vel suorum iniuriam persequantur, nec tunc etiam ad testimonium, sed ad accusationem possunt admitti.

CAP. IX. *Idem eidem in eadem epistola.*

In causis ecclesiasticis vel ciuilibus ultra tertiam productionem non debent testes produci, nisi adhibita quadam solennitate, quæ in legibus inuenitur expressa: & super dictis testium, cum fuerint publicata, potest publice disputari.

CAP. X.

*Idem praeposito & canonicis Eburdinensis ecclesiæ.*

Cum tu fili præposite, cum quibusdam canonicis tuis, & frater noster venerabilis archiepiscopus pro causa quæ inter vos & ipsum vertebatur, in nostra essetis præsentia constituti, archiepiscopo afferente, quod vos ante appellacionem excommunicasset, & postulante sententiam suam

z. q. i. Ma-  
nifesta.

In quo casu  
testes co-  
gendi.